



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Cap. XIV. De Adoratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

Dei semel tantum in vita eliceret; condemnare non audeamus. Item Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinqueennis per se obligare Præceptum Charitatis erga Deum. Item Tunc solum obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, qua iustificari possimus. De iisdem damnatis Propositionibus latè agit Cardenas in *Crisi Dissert.* 6.

5. *Quer.* Quot sint peccata contra charitatem Dei? *Resp.* Esse duo. Unum omnium maximum, id est, *Odium Dei*; ad quod aliquando impii descendunt, cogitantes Dei Iustitiam punitivam culparum. Alterum est *Acedia*, videlicet quoddam tædium, & tristitia de bono spirituali, puta per susceptionem Sacramentorum, & alia bona opera; quod opponitur charitati, cuius proprius effectus est gaudium in operibus spiritualibus. Abelly in *Medulla Theol. part. 2. tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 3. ad finem.*

6. *Quer.* An peccet mortaliter contra charitatem, qui cuperet semper vivere in hoc mundo, & remanere in hac vita? *Resp.* Affirmativè, si præferret delicias huius sæculi visioni, & fructui divinæ. Bonacin. in *prim. Decal. Præcept. disp. 3. q. 4. punct. 1. in fine.* Denegativè, si cuperet in hac vita semper remanere ob timorem Iudicii, & incertitudinem æternæ salutis. Castropal. & Sanch. quos citat, & sequitur Tambur. in *Decal. d. lib. 2. cap. 3. §. 1. num. 3.*

7. *Quer.* An in hac vita homo possit esse certus certitudine fidei, vel Theologica, se habere charitatem Dei, & esse in gratia? *Resp.* Negativè, nisi ex peculiari revelatione; quia ut habetur Eccl. 9. *Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit.* Et Apostolus 1. Cor. 4. de se dicit: *Neque meipsum iudico; nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est,* quæ verba explicat S. Bernar. *Serm. 23. in Cant.* dicens, quod Apostolus intelligebat de puritate suæ conscientie, seu de incertitudine suæ charitatis; & hoc decisum est à Concilio Trid. sess. 6. cap. 9. Deus enim id suæ divinæ providentiæ reservat; ne homo, si sciret, se habere charitatem, negligens evadat in bonis operibus; ideòque in hac vita haberi non potest alia certitudo, quam moralis, ut eruditè disputat, & probat novissimè Gonet. in *Clypeo Theologia tom. 4. de Gratia disp. 5. art. 1. & 2. pag. 126. & seqq.* & Collegium Salmanticen. in *Cursu Theolog. tom. 6. tract. 14. de Gratia disp. 9. per totam.*

8. *Quer.* Quæ sint signa moralis certitudinis, quòd homo sit in gratia, & habeat Dei charitatem? *Resp.* S. Bernardus *Ser. 1. & 2. in festo Paschæ super verbis 1. Jo. 5.* Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, ponere tria signa, dicendo: *Testimonia gratiæ sunt hæc tria; In operibus spiritualibus exerceri; lacrymarum fonte sordes peccatorum abluere; & sanguinolento penitentia martyrio pravas affectiones perimere.* S. Thom. 1. 2. quest. 112. art. 5. ponit tria signa, nempe delectationem rerum spiritualium; contemptum rerum mundanarum; & conscientiam absque notitia peccati mortalis. Sotus addit aliud signum, nempe, affectum, & aviditatem audiendi verbum Dei, juxta illud Jo.

8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ita Gonet ubi supra pag. 129. Tandem S. Franciscus Salesius in suo *Tractatu Amoris Dei part. 2. lib. 2. cap. 5.* ponit pro signo, si homo talem resolutionem in corde teneat, potius amittendi omnia, quàm Deum scienter offendere; exemplo S. Michaelis, qui exclamavit contra Angelos prævaricantes: *Quis ut Deus?* Et Josephi Patriarchæ, qui ab Hæra provocatus ad libidinem intulit: *Quomodo Deum meum offendam?*

CAPUT XIII.

De Primo Decalogi Præcepto. Unum cole Deum.

1. *Quer.* Quid in hoc Præcepto præcipiatur? *Resp.* Præcipi actus Religionis, quibus Deum optimum maximum colimus, & veneramur; & ad duas præcipuas Virtutes eos reduci, nempe ad *Adorationem*, & *Orationem*. Ulterius præcipi, ut abstineamus à peccatis Religioni oppositis; quæ sunt *Superstitio, Idololatria, Magia, Divinatio, Vana Observantia, Maleficium, Sacrilegium, Blasphemia, & Simonia.*

CAPUT XIV.

De Adoratione.

1. *Quer.* Quid sit Adoratio? *Resp.* Esse Actum creaturæ rationalis, quo significat submisionem, & reverentiam ob excellentiam alicujus; unde Lot adoravit Angelos *Gen. 29.* & Betsabea Salomonem *3. Reg. 11.* id est, submisionem, & reverentiam iisdem exhibuerunt. Porro strictè sumpta adoratio est Actus, quo quis proficitur cognoscere, & colere excellentiam Dei; in quo sensu *Deut. 6.* dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, & Matth. 14. Magi procidentes adoraverunt puerum Jesum, & Jo. 19. Cæcus illuminatus procidens adoravit Christum.*

2. *Quer.* Quotplex sit Adoratio? *Resp.* Est Triplex. *Latriæ, Hiperdulie, & Dulie.* Per primam adoratur Deus. Per secundam Deipara Virgo. Per tertiam Sancti. Est tamen sciendum, quòd per Latriam dupliciter adoramus Deum; primò per se, & ratione sui; & sic adoratur Sancta Trinitas, Christus Dominus, & Eucharistia. Secundò per conjunctionem ad Deum; & hoc modo per Latriam adoratur Humanitas Christi, ejus Crux, & alia Instrumenta Dominicæ Passionis; quia licet ex se non mereantur talem adorationem; tamen ut quid unum cum Christo, & relata ad ipsum, eadem adoratione Latriæ adorantur. Similiter Reliquiæ B. Virginis Mariæ adorantur *Hiperdulie*; & Reliquiæ Sanctorum *Dulie* tantum ob relationem respectivè ad Deiparam, & ad ipsos Sanctos. S. Thom. 3. p. 2. q. 25. & Tamburin. in *Decal. lib. 2. cap. 4. §. 1. Mastrius in Theolog. Morali disp. 11. num. 18. & seqq.*

3. *Quer.*

3. *Quer.* Imagines, & Icones, qua sint adoratione colendæ? *Resp.* Eadem adoratione, qua adorantur Prototypa eorum; idè Imagines Christi Latria, Deiparæ Hyperdulia, & Sanctorum Dulia; non quidem per se, sed per relationem ad ea, quæ repræsentant. S. Thom. 3. p. q. 25. art. 4. Et Concil. Trid. sess. 25. in Decreto de Ven. Sancti. Notandum tamen est, quod Crux Domini semper Latria adoratur, quia semper repræsentat Christum, qui in ea pependit; at cætera Instrumenta Passionis non sunt, adoranda Latria, nisi quando considerantur, non ut de per se, sed tanquam repræsentantia Christum passum. S. Thom. d. art. 4. & Mastrius d. disp. 11. num. 22.

4. *Quer.* An Deipara ratione maternitatis, qua conjungitur Christo, possit adorari Latria? *Resp.* Possè, sed non solere, nec fidelibus id suadendum, propter periculum ipsam adorandi Latria propter se, quod periculum non subest in Cruce, quæ est res inanimata. Tambur. d. cap. 4. §. 1. num. 7.

5. *Quer.* Quinam sint Sancti, quos Dulia licet adorare? *Resp.* Esse illos Sanctos, quos Ecclesia Dei per Canonizationem, seu beatificationem tales esse publicè declaravit. Porro si agatur de adoratione Dulia non publica, sed secreta, non est prohibitum, ea adorare Virum defunctum, quem quis Sanctum putat, & Paradisi gloriam possidere, ejusque res tanquam Reliquias venerari, & se per orationes illi commendare, seclusoque scandalo illum Beatum, ac Sanctum nominare in privatis colloquiis, & orationibus. Tambur. ubi supra à num. 8. & seq. ubi advertit, Virum adhuc viventem non esse adorandum, quamvis sanctum, & pium; sed tantummodo ejus orationibus, & auxilio posse quemlibet devotum se commendare, quod docet etiam Barbof. in Collect. DD. ad Concil. Trid. d. sess. 25. De Invocat. Sanctior.

6. *Quer.* An liceat tenere super Altaribus imagines servorum Dei nondum Canonizationum, seu beatificationum? *Resp.* Negative, non solum in locis publicis, sed neque in domibus privatis, quia quodcunque Venerationis signum iis apponi prohibuit Urbanus Papa Octavus in suo Decreto 2. Octobris 1625. ut refert Barbof. in Collect. ad Concil. Trid. d. sess. 25. De Invocat. SS. num. 4. Et docet Contelior. de Canonizat. Sanctior. cap. 22. Imò si quæ appositæ forent tabellæ votivæ, seu Imagines in signum gratiæ receptæ, Lampadeve accensæ, aut alia lumina, sunt omnino amovendæ. Est tamen licitum, ac permissum, tabellas votivas, ac alias oblationes de licentia Ordinarii recipere, & aliquo secretum loco custodire. Barbof. in cap. ult. De Reliq. & Veneratione Sanctior.

7. *Quer.* An Episcopus possit recognoscere, & approbare miracula alicujus Servi Dei, qui Martyrii fama, vel Sanctitatis opinione celebris è vita migravit? *Resp.* Affirmative; sed tenetur negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittere, ejusque responsum expectare: nihil interim innovando ob rem nimis gravem, & periculosam, ut ex Decreto ejusdem Urbani Octavi diei 13. Mar-

tii 1625. advertit Fagnan. in cap. Cum ex eo num. 10. De Reliq. & Venerat. Sanctior. tom. 5. pag. 339. Jord. lib. 7. tit. 1. num. 158. & 159.

8. *Quer.* Quæ, & quot requirantur ad probandum sufficienter miraculum ad effectum Canonizationis? *Resp.* Quatuor requiri. Primum, ut sit ex Deo, non ex arte, vel ex diabolo, nam quandoque etiam per malos miracula fiunt. cap. Teneamus. 1. q. 1. cap. Prophetavit. & cap. Item Balaam. 2. q. 7. Secundum, ut sit supra naturam, ut patet de Virga Moysis, & de Asina loquente ad Balaam. cap. Cum ex injuncto. §. 1. & 2. De Heretis. Tertium, ut non fiat ex virtute verborum, sicut contingit in Sacramento Eucharistiæ; vel ex vi parentelæ, ut in Rege Franciæ (sanante scrophulas suo contactu) sed ex merito hominis. Et Quartum, ut sit ad corroborationem fidei; herba enim transit in Virum ministrum hominis, sed non ad corroborandam fidem. Fagnan. in cap. Venerabili num. 2. 3. & 4. de Testib. tom. 3. pag. 197. Jordan. ubi supra num. 163. & Pignatell. tom. 4. consult. 54 & 56. nec non 67. & plenius tom. 10. consult. 166.

4. *Quer.* Quot sint ordines, seu genera miraculorum? *Resp.* Esse tres secundum doctrinam S. Thomæ 1. par. q. 105. art. 8. Videlicet contra naturam, supra naturam, & præter naturam. Miracula contra naturam, quæ primi, seu summi gradus dicuntur, illa sunt, quæ nullo modo natura facere potest, sicut, quod duo corpora sint simul, vel quod Sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur. Miracula secundi gradus, quæ dicuntur supra naturam, illa sunt, quæ excedunt facultatem naturæ, ut resurrectio mortuorum, & illuminatio cæcorum. Miracula tertii, seu infimi ordinis, quæ præter naturam vocantur, sunt improvisa curatio infirmitatis, seu cum statim aër Divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis. Pignatell. tom. 4. consult. 54. num. 1. & seqq. Pax Jordan. d. lib. 7. tit. 1. num. 166. & Zachias in quest. Medicoleg. tom. 2. lib. 10. consult. 4. per totum.

10. *Quer.* An sufficiant Miracula cujuscunque ordinis, seu generis ad Canonizationem Servorum Dei? *Resp.* Negative, quia ex antiqua consuetudine Ecclesiæ Romanæ non sufficiunt miracula tertii ordinis, seu generis; sed requiruntur duo, vel tria rite probata saltem secundi generis, vel ordinis: qualia sunt resurrectiones mortuorum, illuminationes cæcorum, restitutiones visus, seu auditus. Castellin. de Dilatione Canonizat. Sanctior. punct. 2. sub tit. Reg. De sine Miraculor. Corollario 4. pag. 57. Pignatellus tom. 5. consult. 18. & consult. 21. Et ita vidi servari in Processibus mihi exhibitis Romæ, tanquam Auditori Eminentissimi D. mei Cardinalis Barbadici pro Canonizatione S. Francisci Borgiæ, & S. Cajetani Thienæ; circa quos Eminentia sua commisit mihi extendere ejus Votum exhibendum in S. Rituum Congregatione, in quam ipse Eminent. Cardinalis ingrediebatur.

11. *Quer.* An satis sit ad Canonizationem Servorum Dei obtinendam, probare miracula? *Resp.* Negative, quia ultra miracula opus

opus est probare excellentiam vitæ, una cum exercitio Virtutum non tam Theologicarum, quam Cardinalium in gradu heroico. Scacchus *De Notis, & signis Sanctitatis sect.* 2. cap. 4. pag. 141. Lczana *Consult.* 1. de Canonizat. Sanctor. Et novissimè Pignatell. *Consultationum Canonicarum tom. 2. à consultatione septima usque ad consult. 20.*

12. *Quer.* Quomodo debeant deponere testes, qui examinantur super miraculis? *Resp.* Quod debent deponere de certa scientia, non autem de auditu, & omnes circumstantias exprimere. Jordan. *ubi supra num. 164.* & Genuen. in *Praxi cap. 60.* An autem sufficiant testes singulares in unoquoque miraculo? non concordant Doctores, ut ostendit Barbosa. *de Off. & potestate Episcopi allegat. 97. num. 5.* Jord. *ubi supra num. 165.* & Pignatell. *d. tom. 5. consult. 31. & consult. 34.*

13. *Quer.* Quæ sint præcipuè adhibenda ad formandum Processum pro Canonizatione Servorum Dei? *Resp.* Esse servanda ea, quæ in Decretis Urbani Octavi super hac materia in Sacra Generali Inquisitione statuta sunt; quorum præcipuum est, quod consistet de non cultu illius, de cujus Canonizatione tractatur, nisi fortè cultus ille esset immemorabilis, vel per Patrum, Virorumque; Sanctorum scripta; vel per communem Ecclesiæ consensum; aut per longissimum tempus cum scientia, & tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii. Pignatell. *tom. 1. consult. 236. & consult. 242.* & Sallèles *de S. Inquisit. tom. 3. lib. 5. cap. 5. reg. 407. num. 816.* ubi ponit Decretum per extensum. Ulterius servanda sunt Decreta Novissima Sacræ Rituum Congregationis Jussu Innocentii Papæ XI. facta die 15. Octobris 1678. ad quorum normam duos Processus ego compilavi anno 1691. super cultu immemorabili tum Beatæ Helenæ Henselminæ de Padua; tum Beati Emiliani Ordinis Beati Petri de Pisis; qui Processus post rigorosam discussionem fuerunt ab eadem S. Congregatione laudati.

14. *Quer.* Quomodo probetur cultus immemorabilis? *Resp.* Ipsum probari, per tempus excedens metam centum annorum, numerandum supra datam Decreti Urbani Octavi, nempe diem 13. Martii 1625. ut docet Scacchus *de Canonizat. Sanctorum sect. 20. cap. 1. lit. C. & declarasse Sac. Congr. Rituum die 23. Martii 1652.* testatur Pignatellus *tom. 1. Consult. 243. & 246.* ubi carpit Bonacinam non bene docentem, sufficere tempus 30. vel 40. annorum *tom. 2. ad primum Præcept. Decal. disp. 3. quæst. 1. punct. 2. num. 2.*

15. *Quer.* An mulieres admitti possint pro testibus in causis Canonizationis? *Resp.* Affirmativè, ut resolvendo objecta concludit Pignatell. *d. tom. 1. Consult. 252.*

16. *Quer.* Ad quem spectet recognoscere, & approbare Reliquias Sanctorum? *Resp.* Ad Episcopum privativè ad quoscunque alios inferiores, etiam in Ecclesiis Regularium. Barbosa in *Collect. DD. ad Concil. Trident. d. sess. 25.* in Decreto de *Invoc. Vener. ac Reliq. Sanct. num. 9.* ubi advertit, talem facultatem Episcopi versari circa Reliquias Sanctorum jam

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

Canonizatorum vel ab immemorabili cultum habentium: secus autem circa Reliquias novas alicujus nondum Canonizati. Idcirco eodem anno 1691. ego tanquam Vicarius Generalis recognovi Reliquias SS. Felicitatis, Juliani, Arnaldi, & Uirii in Ecclesia Sanctæ Justinæ de Padua Congregationis Castinen. sic instante Reverendissimo Abbate, à cujus pietate Altaria eorundem Sanctorum in nobiliorem formam fuerunt reedificata.

17. *Quer.* Quid agendum, quando miracula fieri dicuntur virtute Sacrarum Imaginum? *Resp.* Episcopi munus esse mandare, ut imagines operiantur, januæ Ecclesiæ claudantur, & impediatur concursus hominum, donec super facto capiatur diligens informatio, & veritas habeatur cum consilio Theologorum, & Juristarum. Genuens. in *Praxi d. cap. 60.* Piafec. in *Praxi Episc. par. 2. cap. 3. n. 18.* Rubeus in *Aphorif. Episc. Verb. Miraculum num. 3.*

18. *Quer.* An in Lege Naturæ, & in Lege scripta fuerit usus Sanctarum Reliquiarum? *Resp.* Affirmativè, ut eruditè demonstrat Ricciullus *Lucubrat. Ecclesiasticar. lib. 1. cap. 20.* ubi ex probatis Auctoribus docet, Adam servasse Vestem Abelis tanquam Reliquiam innocentis, quæ prodigiosè, dum fiebant homicidia, sanguinem effundebat. Ossa Adæ pro Reliquiis servata à descendantibus filiis fuisse usque ad tempora Noë, qui ea secum detulit in Arca; & deinde post Diluvium illa filiis suis dedit, ac Sem magis dilecto Calvariam consignavit, qui Judæam postea habitavit, unde contigisse potuit, ut sepeliretur in Monte Calvario, ubi Crux Domini infixæ fuit; ac de aliis Patriarchis plurima exempla docet, potissimum in Lege scripta; ut videre est *d. lib. 1. cap. 20. & 21. per totum.*

CAPUT XV.

De Agnis Dei.

1. *Quer.* An inter Sacras Reliquias reputandi sint Agni Dei Cerei à Papa benedicti? *Resp.* Affirmare Sanchez *ad Præcepta Decal. lib. 2. cap. 43. num. 27.* Sed negare Ricciull. *dict. lib. 1. cap. 9. num. 2.* ubi verius putat, esse reputandos inter Sacras Imágenes, quia mysticè representant Christum Dominum; subdens eos tangi non posse à Laicis, ob unctionem Sacram, neque vendi posse, quamvis respectu materiæ tantum, & multo minus pingi vel minio, aut auro sub poena excommunicationis ex *Const. 2. Gregorii XIII.*

2. *Quer.* Quas virtutes habeant, vel ad quid proficiant ipsi Agni Dei? *Resp.* Eos ex vi Sacræ unctionis, & Benedictionis Papalis habere plurimum virtutis, prout testantur infra scripta Carmina scripta per Urbanum Quintum Imperatori Græcorum, quæ referuntur à Magrio in suo *Hierolexico. seu Sacro Dictionar. Verb. Agnus Dei; Videlicet:*

*Balsamus, & munda cera cum Chrismatis unda,
Conficiunt Agnum; quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum, per Mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellis, & omne malignum.*

C

Peccata